

ZGODOVINSKI ZBORNIK.

PRILOGA

„LAIBACHER DIOECESANBLATT-U.“



•••• Izhaja v nedoločenih obrokih. ••••

Tretje leto.

Ljubljana, meseca oktobra 1890.

Številka 13.

Diplomatarij.

Zatrtje (suppressio) oglejskega patrijarhata in ustanovitev goriške oziroma videmske nadškofije.

(Nadaljevanje.)

15) § 14. Aquilejensis porro Civitas magnitudine quondam et populi frequentia insignis, quantum ab antiquo splendore prolapsa, quamque ad deteriorem conditionem redacta sit, omnibus notum est atque compertum. Illius autem Incolarum Cura Parochialis inter duas Ecclesias divisa est, ab eisque dependet; quarum una est ipsa, quae hactenus Patriarchalis etiam extitit, Ecclesia, in honorem Beatae Mariae Virginis in Coelum Assumptae, seu forsan Nativitatis ejusdem Beatae Mariae Virginis, Omnipotenti Deo dicata, cuius quidem Animarum Parochianorum cura per ipsius Ecclesiae Sacristam pro tempore existentem exerceri consuevit; altera vero est Parochialis Ecclesia S. Joannis in foro, seu in Platea nuncupata, cuius Rector, seu Presbyter Curatus, a Communitate, et Hominibus dictae Civitatis, ut accepimus, eligi, nominari, ac Ordinario Loci praesentari solitus, erga Parochianos Ecclesiae hujusmodi jura Parochialia exercet. Quum itaque Civitas Aquilejensis sub temporali Austriacorum Principum ditione constituta sit; ideoque illius spirituale regimen, juxta praemissa, ad futurum Goritiensem Archiepiscopum pertinere, idemque futurus Archiepiscopus, Ordinario, et Dioecesano jure, suam plenam jurisdictionem in eadem Civitate exercere debeat; Ne quid umquam libero hujusmodi jurisdictionis exer-

citio officere valeat, Nos in primodicta Ecclesia, cuius Patriarchalem qualitatem, nec non Cathedralitatis, aliaque predicta jura jam suppressimus et extinximus, omnem etiam Parochialitatem, illiusque Curam Parochiale, harum quoque serie suppressimus et extinguimus; ac illius sic suppressae et extinctae animarum Parochianorum curam, ad dictam Parochialem Ecclesiam S. Joannis in Foro, seu in Platea nuncupatam transferimus, illique subjicimus, et cum omnibus et singulis Parochialibus juribus respective applicamus, appropiamus, et cum ea incorporamus: ita ut illius Rector, seu Parochus, omnium animarum Christifideli tam suae hactenus Parochiae, quam etiam alteri, in praefata Patriarchali olim Ecclesia ad hunc diem existenti subjectorum, curam et regimen gerat, idemque, una cum omnibus suis Parochianis, hoc est, cum universo Aquilejensis Civitatis populo, predicti futuri Goritiensis Archiepiscopi Ordinario juri subjectus existat.

§ 15. Cum vero Apostolica haec Sancta Sedes insignioribus quibusdam Basilicis, libertatis, et exemptionis, ac immediatae eidem Apostolicae Sedi subjectionis privilegia impertiri consueverit; Nos dictam Aquilejensem quondam Patriarchalem Ecclesiam Pontificiae liberalitatis muneribus decorare volentes, dicta potestatis

¹⁵⁾ In Civitate Aquilejensi suppressa Parochialitate Ecclesiae olim Patriarchalis, unam dumtaxat Animarum Curam fore statuit.

¹⁶⁾ Eandem Ecclesiam a cuiuscumque Ordinarii jurisdictione exemptam, Sedi Apostolicae perpetuo subjicit.

plenitudine, eamdem a futuri, et pro tempore existentis Archiepiscopi Goritiensis, et cujuscumque alterius Archiepiscopi, seu Episcopi jurisdictione, in omnibus, et per omnia per easdem praesentes eximimus et liberamus, ac perpetuis futuris temporibus exemptam, immunem et liberam, Nobisque, et Successoribus nostris Romanis Pontificibus, et huic Apostolicae Sedi immediate subjectam esse et fore decernimus. Ne autem ob nimiam praedictae Civitatis Aquilejensis a Romana Urbe, et Curia distantiam, ipsa Basilica praedicta necessariae assistentiae praesidio caret; Apostolico Delegato in dicta Civitate constituto, cui ab aliquo retro saeculis Monialium Monasterii Aquilejensis gubernium, apostolica auctoritate, et independenter ab Ordinarii jurisdictione commissum cognoscitur, ejusque futuris Successoribus, quos quidem in posterum semper ex personis eorumdem Austriacorum principum subditis eligendos fore statuimus, et nostras, et Apostolicae Sedis vices committimus ac demandamus, ut ipse nunc existens Delegatus, ejusque Successores hujusmodi, tanquam Apostolici ad hoc etiam Delegati, nostroque, et ejusdem Apostolicae Sedis nomine, et auctoritate, cum debita a Nobis, et successoribus nostris dependentia, dictam Aquilejensem Basilicam olim Patriarchalem, ab Archiepiscopi Goritiensis, et alterius cujuscumque Archiepiscopi, sive Episcopi jurisdictione exemptam, Nobisque, et Apostolicae Sedi, ut praefertur, immediate subjectam, studeant salubriter regere, feliciter gubernare, et provide conservare.

§ 16. Praesentes autem Literas, et in eis contenta, et statuta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis, seu in eorum aliquo, jus aut interesse habentes, vel habere praetendentes etiam quomodolibet in futurum, cujusvis status, ordinis, praeminentiae, et Ecclesiasticae, vel Mundanae dignitatis sint, etiam specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint: seu, quod aliqui ex ipsis ad ea minime vocati, vel etiam nullimode, aut non satis auditи fuerint: aut ex alia qualibet, etiam laesionis, vel alias juridica et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vito, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu, quantumvis magno, inexegitato et substantiali; sive etiam ex eo, quod in praemissis, solemnitates, et quaecumque alia forsitan servanda et adimplenda, minime servata et adimpleta, seu causae, propter quas praesentes emanaverint, non

¹⁷⁾ Apostolicum Delegatum ad illius curam deputat.

¹⁸⁾ Praemissorum omnium firmatam consultit per opportunas clausulas et Decreta.

satis adductae, verificatae, ac justificatae fuerint; notari, impugnari, aut in controversiam vocari, seu aduersus eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodecumque juris, facti, vel justitiae remedium impetrari posse: sed tamquam ex Pontificiae providentiae Officio, et Motu proprio, certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine Nostris, factas et emanatas, omnimoda firmitate perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat, et quomodolibet spectabat in futurum, inviolabiliter observari; omnibusque etiam et singulis, quorum favorem concernunt, plenissime suffragari; et si secus super his ignoranter contigerit attentari, irritum, et prorsus inane esse et fore, pari auctoritate volumus, atque decernimus.

§ 17. Non obstantibus, de jure quae sit non tollendo, de suppressionibus committendis ad Partes, vocatis, quorum interest, aliquique nostris, et Cancellariae Apostolicae Regulis; neconon dictae Ecclesiae olim Patriarchalis, per Nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, erectione et fundatione: Omnibusque et singulis Apóstolieis, ac in Synodalibus quoque, Provincialibus, et Universalibus Conciliis editis, vel edendis, specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus: Nec non ejusdem Ecclesiae olim Patriarchalis per Nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate, alia roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus: Privilegiis quoque Indultis, Concessionibus, et Donationibus eidem Ecclesiae, ut praefertur, suppressae et extinctae, aut quibuscumque personis, quacumque Ecclesiastica aut Mundana dignitate fulgentibus, quantumvis specifica et individua mentione dignis, etiam Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum, Imperatorum, Regum, Rerumpublicarum, et aliorum Supremorum Principum auctoritate, et liberalitate, seu ad alicujus ex supra expressis instantiam, intuitum, et contemplationem, sub quibuscumque formis, et verborum tenoribus, etiam Motu simili, et de Apostolicae potestatis plenitudine, seu Consistorialiter, in contrarium praemissorum concessis, et emanatis, et longissimi, ac immemorabilis temporis usu, possessione, seu quasi, exercitis, atque praescriptis; Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, et formis, specialis, specifica, et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret; illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omissa, et forma in illis tradita observata, inserti forent, prac-

¹⁹⁾ Contrariis quibuscumque derogat.

sentibus pro expressis habentes, ad praemissorum omnium et singulorum effectum, latissime et plenissime, ac specialiter et expresse, ex certa scientia, motuque, et potestatis plenitudine paribus, derogamus, et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

²⁰⁾ § 18. Volumus etiam, ut ipsarum praesentium Transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et Sigillo alicujus Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

²¹⁾ § 19. Nulli ergo omnino hominum licet hanc paginam nostrae approbationis, suppressionis, extinctionis, duplicitis erectionis, constitutionis, concessionis, impertitionis, exemptionis, liberationis, subjectionis, commissionis, mandati, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

²²⁾ Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quinquagesimo primo, pridie nonas Julii, Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

† Ego Benedictus Catholicae Ecclesiae Episcopus.

† Ego Thomas Episcopus Ostiensis Cardinalis Rufus Decanus S. R. E. Vice-Cancellarius.

† Ego Annibal Episcopus Portuñ. Card. S. Clementis Albanus.

† Ego Petrus Aloysius Episcopus Albanen. Cardinalis Carafa.

† Ego Antonius Xaverius Episcopus Praenestin. Card. Gentili.

† Ego Raynerius Episcopus Sabinen. Cardinalis de Ilcio.

† Ego Joannes Antonius Episcopus Tusulanus Card. Guadagni.

† Ego Nicolaus Maria Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Lercari.

† Ego Franciscus Tit. S. Mariae Transtyberim Presbyter Card. Burghesius.

† Ego Dominicus Tit. SS. Duodecim Apostolorum Presbyter Card. Riviera.

²⁰⁾ Transumptis Fidem haberi jubet.

²¹⁾ Sanctio.

²²⁾ Dat. die 6. Julii 1751.

- †
 † Ego Pompejus Tit. S. Eusebii Presbyter Card. Aldovrandus.
 † Ego Joseph Tit. S. Pudentianae Presbyter Card. Spinellus.
 †
 †
 † Ego Carolus Tit. S. Mariae in Ara-Coeli Presbyter Card. Rezzonicus.
 † Ego Dominicus Tit. S. Bernardi ad Thermas Presbyter Card. Passioneus.
 † Ego Silvius Tit. S. Callisti Presbyter Card. Valentini S. R. E. Camerarius,
 † Ego Carolus Tit. S. Anastasiae Presbyter Card. Sacripantes.
 †
 † Ego Joachim Tit. S. Caeciliae Presbyter Cardinalis Portocarrero.
 † Ego Camillus Tit. SS. Joannis, et Pauli Presbyter Card. Paulutius.
 † Ego Carolus Albertus Tit. S. Mariae de Pace Presbyter Card. Cavalchinus.
 †
 † Ego Jacobus Tit. S. Hieronymi Illyricorum Presbyter Card. Oddi.
 †
 †
 †
 †
 † Ego Franciscus Tit. S. Mariae de Populo Presbyter Card. Riccius.
 † Ego Antonius Tit. S. Silvestri in Capite Presbyter Card. Rufus.
 † Ego Philippus Maria Tit. S. Stephani in Monte Coelio Presbyter Card. de Montibus.
 † Ego D. Fortunatus Tit. S. Matthaei in Merulana Presbyter Card. Tamburinus.
 † Ego D. Joachim. Tit. S. Crucis in Hierusalem Presbyter Card. Besutius, Major Poenitentiarius.
 †
 †
 †
 †
 † Ego Joannes Baptista Tit. S. Honuphri Presbyter Card. Mesmerus.
 †
 † Ego Marius Tit. S. Marcelli Presbyter Card. Millinus.
 †
 † Ego Henricus Tit. S. Mariae in Porticus Presbyter Card. Dux Eboracensis.

- † Ego Alexander S. Mariae in Via-Lata Diaconus Card. Albanus.
 † Ego Nerius S. Eustachii Diaconus Cardin. Corsinus.
 † Ego Hieronymus S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Card. Columna.
 † Ego Prosper S. Georgii in Velabro Diaconus Card. Columna de Sciarra.
 † Ego Alexander S. Mariae in Aquiro Diaconus Card. Tenarius.
 † Ego Hieronymus S. Adriani Diaconus Card. Bardi
 † Ego Dominicus SS. Viti, et Modesti Diaconus Card. Ursinus.

D. Card. Passioneus.
 J. Datarius.

VISA DE CURIA.

J. C. Boschi. J. B. Eugenius.
Registrata in Secretaria Brevium.

Publicata die 17. ejusdem Mensis, et Anni.

15.

Bulla papeža Benedikta XIV., s katero ustanovi goriško nadškofijo ter odredi vse, kar zadeva škofijo, kapitul, obojno menzo, podeljevanje beneficijev in oskrbovanje dolžnostij. — Rim, 18. aprila 1752.

BENEDICTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

²³⁾ Sacrosanctae Militantis Ecclesiae gubernacula, quae copiosus in misericordia Deus, et in cunctis suis gloriis operibus, ad hoc Nobis, meritis quamvis imparibus, committere, et debilitati nostrae magnum Apostolicae servitutis jugum imponere voluit, ut tanquam

²³⁾ Prooemium.

²⁴⁾ Justa causa veteres suppressi, novasque erigendi Cathedrales statuitur, urgens necessitas avertendi dissidia.

de summo vertice montis ad hujus mundi infirma reflectentes intuitum, quid pro hujusmodi Ecclesia illustranda, ad Fidei Orthodoxae propagationem, Divinique cultus augmentum conferat, quidque animarum Christifidelium saluti quomodolibet conveniat, attentius prospicere non omittamus, demandata tenentes, et propterea causis dissidiorum, quae inimicus homo suggesterit, per suppressionis, et extinctionis Ecclesiarum, etiam Patriarchalium, fontium et originum dissidiorum hujusmodi ministerium, penitus eliminatis, Apostolica auctoritate, qua fungimur in hac parte, earum loco novas Ecclesias Metropolitanas, pro Dominiorum diversitate, ne Fideles ipsi inibi degentes in recidivae contentionis scopulum relabantur, erigimus, aliaque desuper disponimus, prout rationabiles causae, et pia sublimium Principum vota exposcunt, temporumque, locorum, et personarum qualitatibus et circumstantiis matura deliberatione pensatis, ad Omnipotentis Dei, ejusque Gloriosissimae Genitricis Virginis Mariae laudem et gloriam, ac ejusdem Militantis Ecclesiae honorem, conspicimus in Domino salubriter expedire.

§ 1. Sane etc. *Sequitur narratio suppressionis Patriarchatus Aquilejensis, ejusque Dioecesis, et Provinciae divisio in duos Archiepiscopatus; quibus vide Constit. sub Num. 14 „Zgodovinski Zbornik“ stolp. 185 — 195. §§ 3 — 15 inclus.*)* ac alias prout in Literis nostris Apostolicis Pontificatus Nostri anno undecimo desuper expeditis plenius et uberioris continetur. Nos propterea Erectioni Archiepiscopatus Goritiensis hujusmodi modum, et formam imponere, eamdemque erectionem per Nos, ut praefertur, factam, Apostolica auctoritate praefata confirmare cupientes, quique dudum inter alia voluimus, quod petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri, tenebentur exprimere verum annum valorem, secundum communem aestimationem, tam Beneficii uniendi, quam illius, cui uniri petitur, alioquin unio non valeret, et in unionibus semper commissio fieret ad Partes, vocatis quorum interest: motu, scientia, et potestatis plenitu-

²⁵⁾ Speciabiles Urbis Goritiensis qualitates, ob quas Archiepiscopal Sedis digna.

*) Ker so navedeni §§ ondotne bulle večinoma skoraj doslovno vsprejeti v pričajočo bullo, zato jih po vzgledu bullarija Benedikta XIV. nismo še enkrat ponatisnili, ampak opozarjam na dotedne odstavke. Vender smo pa povzeli za nas važnejše druge odstavke te bulle, kateri so v bullariju tudi izpuščeni, ker so bolj krajevnega pomena. In sicer smo jih povzeli iz poverjenega transsumpta te ustanovne listine, ki ga hrani škofski arhiv goriški ter ga nam je z veliko prijaznostjo poslal v porabo prečastiti g. knezonadškof. tajnik Ivan Grbec, za kar mu iskrena zahvala. — Dotedne odstavke označili bodemo s tem, da je denemo v oklepaje. Opozarjam le še na to, da je pisavo tega transsumpta tako težko čitati, včasih, zlasti pri lastnih imenih, brez drugih pomočkov skoraj nemogoče pravo zadeti.

dine similibus, in dicta Civitate Goritiensi valde conspicua, et in sui amplitudine circuitus duorum milliarum, et ultra, in qua Civitate Goritiensi, ejusque suburbii, plures, ut pariter accepimus, reperiuntur Ecclesiae, vide-
licet Presbyterorum Regularium Societ. Jesu cum publico Gymnasio, ac Fratrum Ordinis Minorum Conven-
tualium Sancti Francisci, et Cappucinorum, et Carmeli-
tarum discalceatorum nuncupatorum, praeter duo Mo-
nialium Monasteria, unum sub Sanctae Clarae, alterum
vero sub Sanctae Ursulae respective Regulis, et tres
utriusque sexus Christifidelium Confraternitatum Eccle-
siae, scilicet Sanctissimi Sacramenti, et Sanctorum An-
gelorum Custodum, et Sancti Joannis Nepomuceni nuncu-
patori, nec non Ecclesia Fratrum Misericordiae nuncu-
patorum, ut jure merito Archiepiscopalis Civitatis no-
mine nuncupari valeat, Parochiale Ecclesiam Exalta-
tionis Sanctae Crucis, et Sancti Viti, cum ei annexis
altera Parochiali Ecclesia de Salcano nuncupata Goritiensis, ac perpetuo simplici Beneficio Ecclesiastico sub
invocatione Sanctae Annae in Parochiali, seu alia Eccle-
sia dictae Civitatis Goritiensis, quae, sicut etiam accep-
imus, de Jurepatronatus Laicorum Nobilium, et Illu-
strium, videlicet praefatae Mariae Theresiae Reginae,
ex fundatione, vel dotatione existit, et quam quandam
cognominatus Comes Coronini primodictae Parochialis
Ecclesiae Rector, dum viveret, obtinebat, quaeque per
obitum dicti cognominati Comitis, qui extra Romanam
Curiam diem clausit extremum, ad praesens vacat, sive,
ut praefertur, sive alias quovis modo (aut ex alterius
cuiuscumque Persona, seu per liberam resignationem
dicti Cognominati Comitis Coronini, vel cuiusvis alterius
de illa extra dictam Curiam etiam coram Notario pu-
blico et Testibus sponte facta, aut Constitutionem piae
memoriae Joannis PP. XXII. Praedecessoris nostri, quae
incipit Exceribilis, vel assequitionem alterius Beneficii
Ecclesiastici Ordinaria authoritate collati vacet, etiam si
tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Late-
ranensis Statuta Concilii ad Sedem praefatam legitime
devoluta, primodictaque Parochialis Ecclesia dispositioni
Apostolicae specialiter reservata existat). Illiusque Ti-
tulum collativum, ac denominationem, naturam, et es-
sentiam Parochialis Ecclesiae collativa, ita quod ex
nunc illa collativa esse desinat, et de caetero uti talis
in Titulum Collativum conferri, aut impetrari, vel alias
de illa disponi contigerit, collationes, impetrations, aliae-
que dispositiones hujusmodi nullae et invalidae, nullius-
que roboris, vel momenti existant; nullique suffragentur,
nec coloratum titulum possidendi cuiquam tribuant,
eadem Apostolica auctoritate, de consensu praefatae Ma-

riae Theresiae Reginae, perpetuo suppressimus, et extin-
guimus: Illisque sic suppressis, et extinctis eamdem
Parochiale Ecclesiam Exaltationis Sanctae Crucis, et
Sancti Viti, in sua structura valde elegantem, et ob
ejus pulchritudinem, ac praecipue septemdecim marmo-
reorum Altarium in ea existentium magnificentiam, di-
gnam propterea ut titulo, et honore Archiepiscopalis
Ecclesiae decoretur, ad laudem, et gloriam Omnipotentis
Dei, ac Beatae Virginis Mariae, et Sanctorum Aposto-
lorum Petri, et Pauli, necnon Fidei Catholicae exalta-
tionem, et totius Ecclesiae militantis gloriam, in Archie-
piscopalem, et Metropolitanam Ecclesiam Goritiensem
nuncupandam, et in ea Archiepiscopalis, et Metropoli-
tani Praesulis Goritiensis Sedem, et Provinciae caput,
pro uno deinceps Archiepiscopo Goritiensi, qui Palii, et
Crucis usum aliorum Archiepiscoporum more habeat,
cum suis Capitulo, Sigillo, Area, Mensa Archiepiscopali,
omnibusque aliis insigniis Archiepiscopalibus, nec non
privilegiis, honoribus, et praerogativis Archiepiscopis
debitis, et concessis, ac juribus, jurisdictionibus, facul-
tatibus, praeeminentiis, gratiis, favoribus, et indultis rea-
libus, et personalibus, et mixtis, quibus aliae Metropolitanae
Ecclesiae, earumque Praesules quomodolibet, non
tamen titulo oneroso, seu ex indulto, aut privilegio parti-
culari, utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti,
frui, potiri, et gaudere possunt, similiter perpetuo eri-
gimus, et instituimus, ac nomine, titulo, et honore Ar-
chiepiscopali, et Metropolitanano decoramus, necnon pro
tempore existentem Ecclesiae prefatae Goritiensis Prae-
sulem in Archiepiscopum declaramus, eique, ut ipse
caetera singula, prout Metropolitanis in eorum Civitatibus,
Dioecesisibus, et Provinceis a Jure indultum ex-
titit, facere, exercere, et administrare, et exequi possit,
eadem auctoritate concedimus, et indulgemus.

§ 2. Praeterea eidem Ecclesiae Goritiensi Ecclesias
Episcopales Tridentinam, ac Tergestinam, et Petinen-
sem, necnon Comensem, Patriarchatus olim Aquilejensis
per Nos, ut praefertur, suppressi, et extincti suffraganeas,
ac Ven. Fratres Nostros modernos, ac pro tem-
pore existentes earum respective Episcopos, pro Archie-
piscopi Goritiensis pro tempore existentis suffraganeis,
qui tanquam membra Capiti eidem Archiepiscopo Go-
ritensi Jure Metropolitico subsint: Ita quod Archiepiscopus
Goritiensis pro tempore existens praefatus, in Tri-
dentina, ac Tergentina, ac Petensi, necnon Comensi
Civitatibus, et Dioecesisibus, Jus Metropoliticum sibi vin-
dicet, necnon Tridentina, ac Tergentina, et Petensis,

²⁷⁾ Eaque erigitur in Ecclesiam Archiepiscopalem, et Metro-
politanam, cum omnibus juribus.

²⁸⁾ Assignantur Ecclesiae suffraganeae, in quas jus Metro-
politicum obtineat.

²⁶⁾ Parochialis Ecclesia Exaltationis S. Crucis, et S. Viti una
cum aliis supprimitur, et extinguitur.

ac Comensis Ecclesiae praefatae eidem Archiepiscopo, et Metropolitanu Goritiensi ad omnia, et singula teneantur, et sint adstrictae, ad quae Suffraganei suis Metropolitici Ecclesiis, et Metropolitanis tenentur, et obligati sunt, ut judicentur juxta Canonicas Sanctiones; Ac eidem Archiepiscopo Goritiensi praefatos suos Suffraganeos consecrandi, ad Provinciales Synodos evocandi, ac cum eis etiam Ecclesiastica negotia terminandi, et causas quarumcumque appellationum, sive querelas, alias ad eum tamquam Metropolitanum, juxta Decreta Concilii Tridentini devolutas, ac alias juxta Sacrorum Canonum statuta spectantes, cognoscendi, omniaque alia, et singula quaecumque, quae de jure, vel consuetudine, aut alias quovis modo ad Archiepiscopos, et Archiepiscopale munus spectare, et pertinere solent, et debent, gerendi, faciendi, et exercendi, plenam, et omnimodam auctoritatem, concedimus, et facultatem.

²⁹⁾ § 3. Provinciae quoque Goritiensi Clerum, et Populum universum, ac omnia Loca, Ecclesias, et Monasteria, ac Oratoria, et pia Loca, neenon Confraternitates a parte Imperii existentes olim praefato Aquilejensi Patriarchatui per Nos, ut praefertur, suppresso, et extincto subjecta, et subjectas, pro eorumdem Ecclesiae, et Archiepiscopi Goritiensis Provincialibus, pariter perpetuo concedimus, et assignamus, ac deinceps perpetuis futuris temporibus praefatas Tridentinam, et Tergestinam, ac Petinensem, neenon Comensem Ecclesias, dictae Ecclesiae Goritiensis Suffraganeas censendas, ac tam eas, quam illarum Civitates, et Dioeceses respective universas, sub ipsa Provincia Goritiensi comprehensas, et nullatenus ab ea exemptas, nec dictae Sedi Apostolicae immediate, neque ulli alteri, nisi tantum Goritiensi Ecclesiae, et illius Archiepiscopo praefatis, quoad Archiepiscopalia, Metropolitica, ac Provincialia Jura, et Jurisdictiones, subjectas esse, et fore, dicta auctoritate declaramus. Pro residentia vero, et habitatione Archiepiscopi Goritiensis pro tempore existentis praefati, in eadem Civitate Goritiensi Domum conspicuam, et mobilibus decenter instructam, cum suis Cappella, neenon viridario, et vinea propinquis, seu annexis, et ad hunc effectum a pia liberalitate quondam tunc in humanis agentis Augustini Codelli, dum viveret, donatam, et destinatam, concedimus, et assignamus.

³⁰⁾ § 4. Utque eadem Parochialis Ecclesia Exaltationis Sanctae Crucis, et Sancti Viti in Archiepiscopalem Ecclesiam Goritiensem, ut praefertur, erecta, ex omni parte perfectior reddatur, condigneque Capitulo, et Canoni-

corum, et Dignitates in ea obtinentium, ac Mansioniorum numero condecoretur, in ea unam Praeposituram, quae inibi post Pontificalem major, ac de infrascripto Jure nominandi Regio semper existat, pro uno presbytero dictae Parochialis Ecclesiae Exaltationis Sanctae Crucis, et Sancti Viti in Archiepiscopalem Ecclesiam Goritiensem, ut praefertur, erectae Praeposito, qui illius Capituli, ut infra erigendi, caput existat, et in Choro, Capitulo, Processionibus, caeterisque functionibus, et Actibus Capitularibus publicis, et privatis dictae Ecclesiae, praeeminentiam, et primum locum habeat, et unum Decanatum, qui secunda, quemque pro tempore obtinens Praepositus ad Sanctum Stephanum denominari debeat, attento quod in Gradiscae Territorio quaedam Ecclesia olim Filialis Ecclesiae Patriarchalis Aquilejensis per Nos, ut praefertur, suppressae, et extinctae, titulo Praepositurae decorata reperitur, pro uno Clerico, seu Presbytero futuro dictae Ecclesiae Decano, et unum Primiceriatum, qui Tertia, Dignitates inibi respective existant, quemque pro tempore etiam obtinens Abbas Belinge, seu de Belluna, vel Bulegna denominari similiter debeat, attento quod in eodem Gradiscae Territorio quaedam Ecclesia pariter olim Filialis praefatae Ecclesiae Aquilejensis Titulo Abbatiae decorata reperitur, pro uno Clerico, seu Presbytero futuro dictae Ecclesiae Primicerio; ac quinque Canonicatus, totidemque Praebendas, pro totidem Clericis, seu Presbyteris futuris in ea Canonice; ac sex Mansionariatus, pro sex Presbyteris futuris in ea Mansionariis; ac unam et alteram perpetuas sine cura Cappellarias, pro duobus Presbyteris ut infra nominandis, qui tamen in Patriarchali Ecclesia Aquilejensi, per Nos, ut praefertur, suppressa et extincta praefata, pro celebratione infrascriptarum Missarum remanere debeant; cum Capitulo, Stallo, Mensa Capitulari, Area, Bursa, et Sigillo communibus, ac omnibus et singulis aliis Capitularibus signis et Insigniis, aliis Metropolitanis Ecclesiis, earumque Capitulis de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet, non tamen ex Indulso, seu privilegio particulari, competentibus, qui que Praepositus, ac Decanus, et Primicerius, neenon Canonici praefati, Capitulum inter se constituant, et tam ipsi, quam Mansionarii praefati apud dictam Ecclesiam personaliter residere, ac in ea singulis diebus, et debitiss temporibus Horas Canonicas, ac Missam Conventualem seu Majorem semper pro Benefactoribus applicandam, caeteraque Divina Officia solita et consueta, cum debita mentis attentione, servataque Ecclesiastica disciplina, ac infrascriptis ordine et praecedentia omnino servatis, vide-licet quod Praepositus semper primum, ac Decanus secundum, ac Primicerius tertium locos habeant, deinde

³¹⁾ ³²⁾ Ordo praecedendi, incumbentia Onera.

²⁹⁾ Alia designantur Goritiensis Provinciae membra.

³⁰⁾ Et Archiepiscopales Aedes.

³¹⁾ Capitulum in nova Metropolitanana Dignitatibus et Canonice constitutum, nec non Mansionariae, aliique tituli eriguntur.

juxta antianitatem quinque Canonici, et successive etiam juxta antianitatem sex Mansionarii praefati succedant, qui Mansionarii nunquam de gremio Capituli censeri debeant, minusque vocem, aut votum in Capitulo, ac sessionibus Capitularibus habere valeant, sed ultra Ecclesiae servitium Ferialibus diebus, Canoniceis, ac dignitates in ea obtinentibus, omnes vero Archiepiscopo Goritiensi pro tempore existenti, prout in Cathedralibus, et Metropolitanis Ecclesiis practicari solet, inservire teneantur, psallere, decantare, recitare, et respective celebrare, et alias dictae Ecclesiae in Divinis laudabiliter deservire debeant et teneantur, dicta Apostolica auctoritate etiam perpetuo erigimus, et instituimus. Illisque sie erectis et institutis pro Mensarum Archiepiscopalis, et respective Capitularis praefatae Parochialis Exaltationis Sanctae Crucis, et Sancti Viti Ecclesiae in Archiepiscopalem Ecclesiam Goritiensem ut praefertur erectae, nec non Archiepiscopatus, et Praepositurae, ac Decanatus, et Primicerius, ac quinque Canonicatum, totidemque Praebendarum, nec non sex Mansionariatum, ac unius et alterius Cappellaniarum, ut praefertur, ectorum, et erectarum hujusmodi, respective dote, illumque, ac illos, et illas pro tempore respective obtainientium congrua sustentatione, ac onerum eis pro tempore respective incumbentium supportatione, omnia et singula fructus, redditus, proventus, Jura, obventiones, et emolumenta universa ex infrascriptis Monasterio, ac Parochialibus Ecclesiis, et Beneficiis, ut infra, suppressis et extinguis, et fundationibus, seu legatis piis, etiam ut infra, applicandis; ita tamen, ut Archiepiscopo Goritiensi sexmille sexcenti, ac Praeposito, praeter infrascriptae Domus habitationis usum, mille, et Decano octingenti, ac Primicerio sexcenti, singulis vero ex quinque Canoniceis quadringenti et quinquaginta, ac singulis ex sex Mansionariis pro tempore existentibus praefatis, biscentum, nec non singulis ex duobus Cappellanis praefatis centum et quinquaginta floreni monetae currentis in ditionibus Austriacis, annuatim assignentur, eadem Apostolica auctoritate similiter perpetuo applicamus, et appropriamus: Ita quod licet futuris Archiepiscopo Goritiensi, ac Praeposito, et Decano, ac Primicerio, et quinque Canoniceis, nec non Mansionariis praefatae Ecclesiae in Archiepiscopalem, ut praefertur, erectae pro tempore existentibus, illarum et illorum omnium fructuum, reddituum, proventuum, Jurium, obventionum, et emolumentorum hujusmodi, veram, realem, et actualem possessionem, per se, vel alium, seu alios, eorum, ac dictarum Mensarum Archiepiscopalis, et respective Capitularis nominibus, propria auctoritate libere apprehendere,

³³⁾ Et praebendales redditus unicuique assignantur, ac definiuntur.

et apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus, et proventus, jura, obventiones, et emolumenta quaecumque percipere, exigere, levare, ac in eorum, et Mensarum Archiepiscopalis, et respective Capitularis hujusmodi usus et utilitatem convertere, cuiusvis licentia desuper minime requisita.

§ 5. Praeterea Monasterium Abbatiam nuncupatum Sancti Petri de Rosacio Ordinis S. Benedicti olim Aquilejensis Dioecesis per Nos, ut praefertur, suppressae, et extinctae, cuius fructus, redditus, et proventus, ad trecentos trigintatres florenos auri, cum uno tertio alterius floreni similis in libris Camerae Apostolicae, ut etiam accepimus, taxati reperiuntur, quodque Dilectus similiter Filius Noster Angelus Maria praefatae S. R. E. Cardinalis Quirinus nuncupatus modernus Episcopus Brixiensis in Commendam ad sui vitam ex concessione, et dispensatione Apostolicis ad praesens obtinet, ac in similem Commendam ex pari concessione Apostolica ad vitam obtineri consuevit, ex nunc, prout ex tunc, et cum primum illud per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum, seu privationem, aut quamvis aliam dimissionem, vel amissionem, dicti Angeli Mariae Cardinalis et Episcopi, aut alias quovis modo ex ejus persona, Commenda praefata cessante, vacare contigerit, etiamsi actu nunc, ut praefertur, vel alias quovismodo, aut ex alterius cuiuscumque Persona, seu per liberam praefati Angeli Mariae Cardinalis et Episcopi, vel cuiusvis alterius cessionem, de illo illisque regimine et administratione extra dictam Curiam, etiam coram Notario publico et Testibus sponte factam, aut assequutionem alterius Beneficii Ecclesiastici Ordinaria auctoritate praefata collati, etiam Commenda praefata cessante vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius provisio juxta praefati Lateranensis Statuta Concilii, aut alias Canonicas Sanctiones ad Sedem eamdem legitime devoluta existat, illaque ex quavis causa ad Sedem praefatam specialiter vel generaliter pertineat, ac super regimine et administratione praefatis inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa) firmo remanente titulo Commendae hujusmodi, in duas partes, seu duas deinceps Commendas per Nos ut infra erigendas, quarum una, quae redditus ex bonis in Austriaca ditione consistentibus in summa florenorum mille et centum monetae praefatae, ut pariter accepimus, ad praesens habet, Goritiensis, altera vero, quae redditus ex bonis in Veneto dominio existentibus etiam ad praesens habet, Utinensis respective Dioecesis denominari, ac primodicta Goritiensi, secundo

³⁴⁾ Divisio Commendae Monasterii Sancti Petri de Rosacio nuncupati in duas Commendas, quae duobus Archiepiscopis Goritiensi cum suis respective fructibus perpetuo conceduntur.

dicta vero Commendae ut infra erigendae, Utinensi Archiepiscopis pro tempore existentibus, et non aliis personis Commendam Apostolica auctoritate praefata concedi, et assignari debeant, dividimus, et separamus, et respective in unam, et alteram Commendas Ordinis, et Denominationis, seu Tituli ejusdem Monasterii S. Petri de Rosaccio, ut praefertur, divisas, et separatas, quae tamen noviter in libris Camerae Apostolicae praefatae, habito respectu ad earum respective fructus, taxentur, eadem Apostolica auctoritate similiter perpetuo erigimus, et instituimus.

³⁵⁾ § 6. Declarantes nihilominus unam Abbatiam Bellinge, seu de Belluna, vel Bulegna, et alteram Praesitutram Sancti Stephani, respective nuncupatas Ecclesiæ supradictas, in praefato territorio Gradiscae, ut praefertur, existentes sub Dioecesi Goritiensi praefata, veraque vice Monasterium Abbatiam nuncupatum Sancti Galli de Mozio, seu Mosacensem, praefati Ordinis Sancti Benedicti, cuius fructus, redditus, et proventus ad trecentos florenos auri similes in libris ejusdem Camerae Apostolicae ut pariter etiam accepimus taxati reperiuntur, quodque dictus Daniel praefatae Sanctae Romanae Ecclesiæ Cardinalis Patriarcha Delfinus nuncupatus, ac Monasterium, Abbatiam etiam nuncupatum, S. Mariae de Sexto, praefati Ordinis S. Benedicti, eiusdem Aquilejensis respective Dioecesis, per Nos, ut prafertur, suppressæ, et extinctæ, ac cuius fructus, redditus, et proventus ad biscentum sexaginta florenos auri pares in eisdem libris praefatae Camerae Apostolicae, ut similiter accepimus, taxati reperiuntur, et quod Dilectus pariter Filius Noster Hieronymus praefatae S. R. E. Cardinalis Columna nuncupatus, in Commendam, ad eorum respective vitam, ex concessione, et dispensatione Apostolicis ad praesens respective obtinent, quaeque in similem Commendam ex pari concessione Apostolica ad vitam obtineri consueverunt, sub Dioecesi Utinensi deinceps respective comprehendendi debere; quodque futuri Capitulum, et Canonici Ecclesiæ Utinensis per Alias Nostras Literas in Archiepiscopalem, et Metropolitanam Ecclesiam erigendi, imposterum teneantur, et obligati existant, vice summae vigintisex Ducatorum auri de Camera cum tribus quartis alterius ducati similis, confientium scuta quadragintasex et obulos octoginta monetae Romanae, singulis quindenniis, Officialibus Cancellariae Apostolicae, ratione unionis perpetuae Parochialis Ecclesiæ S. Pauli de Lovaino olim Aquilejensis Dioecesis, neenon ratione alterius unionis perpetuae Thesaurariae, praefatae Patriarchalis olim Ecclesiæ Aquilejensis Dignitatis, inibi non tamen post Pontifi-

³⁵⁾ Utrique Dioecesi assignantur Monasteria, et Commendae.

³⁶⁾ De solutione quindenniorum opportune statuitur.

calem majoris existentis, eidem Patriarchali Ecclesiæ, seu illius mensae Patriarchali, aut Capitulari pariter, per nos, ut praefertur, suppressis, et extinctis alias Apostolica auctoritate respective factarum, ad alteram, solutiones summae sexaginta unius ducatorum auri similium, cum tribus quartis alterius ducati paris, confientium summam centum et octo scutorum monetæ praefatae, et obulorum quinque ejusdem monetæ, eisdem Cancellariae praefatae officialibus etiam singulis quindenniis respective debitorum, respective faciendas.

³⁷⁾ § 7. Considerantes itaque dignum esse, quod in praefata Ecclesia Goritiensi, ut praefertur, erecta, usque ab ejus exordio pro Christifideliū ad eam concurrentium, commoditate aliquis major Missarum celebrandarum numerus reperiatur; quodque in oīl Patriarchali Ecclesia Aquilejensi per Nos, ut praefertur, suppressa et extincta, ob exiguum Presbyterorum inibi remanentium numerum solita anniversaria celebrari nequibunt, decernimus, quod imposterum celebrentur; ut prius, ab infrascriptis Presbyteris, ut infra nominandis, quotannis Missae privatae quingentae et sexaginta, videlicet (Missae Nonaginta quatuor—Strasoldi; Quinquaginta—Franciae; Quadraginta—Saurinae; Quinquaginta quatuor—Tangiarinae; Duodecim — Perulo; Duodecim — Valenti; Sex Perante; Viginti Cerencoli respective nuncupatae. Item Missae Quinquaginta duo Cappellae Sanctorum Hilarii et Traiani; Missae Quinquaginta duo Cappellae Sanctorum Ermagorae et Fortunati; Missae Quinquaginta duo Cappellae Sanctorum quatuor Virginum; Missae Quinquaginta duo Cappellae Sancti Hieronymi; Missae Quinquaginta duo Cappellae Sancti Thomae et Missae duodecim Cappellae Sancti Lazari) Sequentia vero Anniversaria per eosdem pro tempore existentes Capitulum et Canonicos praefatae Ecclesiæ in Archiepiscopalem Goritiensem, ut praefertur, erectae, quotannis, seu et per praefatos Mansionarios celebranda ad eam Apostolica auctoritate praefata transferimus, videlicet (Arbaro — Tiepolo — Avina — Glavino — Montino — Villano — Taurino — Temperino — Beltrandis — Bassetti — Desimeonibus, cum Missis privatis numero Decem, ut una cum Cantu seu Maiori nuncupata; Tracavello, cum Missis privatis Octodecim, ac duabus cum Cantu seu Maioribus nuncupatis — Facino; quoties tamen exigi contingat, redditus assignatos ad praesens inexigibles, ut pariter accepimus, et non alias — Durissimo cum Missis privatis Undecim, ac una cum Cantu seu Maiori nuncupata, nec non Foca et Turano, cum Missis privatis Undecim, et una cum Cantu, seu maiori etiam nuncupata.)

(Nadaljevanje prihodnjic.)

³⁷⁾ Onera Missarum et Anniversaria in suppressa Patriarchali relicta, ubi et quomodo adimplenda.